

T H E C H A R T E R

et aliis Crecis et Locis prædictis infra PROVINCIAM prædictam solubilia sive emergentia pro Mercimoniis et Rebus ibidem onerandis et exonerandis per ipsos et Populos ibidem ut prædictum est Occasione émergente rationabiliter affida Quibus eadem justâ de Causâ debitâ Proportione assidere et inducere Telonia et Subsidia ibidem Potestatem pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris Damus per Præsentes.

XVIII. ET ULTERIUS de Gratiâ nostrâ speciali ac ex certâ Scientiâ et mero Motu nostris dedimus concessimus et confirmavimus ac per Præsentes pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris damus concedimus et confirmamus præfato modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis plenam et absolutam Licentiam Potestatem et Authoritatem Quod ipse præfatus modò Baro Hæredes et Assignati sui de Tempore in Tempus imposterum imperpetuum ad ejus vel eorum Libitum et Voluntatem possint et valeant assignare alienare concedere demittere vel feoffare Præmissorum tot tales et tantas Partes et Parcellas eas perquirere volenti vel volentibus quot quales et quantas duxerint oportunas habendum et tenendum eisdem Personæ et Personis eas capere vel perquirere volenti et volentibus Hæredibus et Assignatis suis in Feodo simplici vel Feodo talliato vel pro Termino Vitæ Vitarum vel Annorum TENENDUM de præfato modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis per tot talia et tanta HUJUSMODI Servitia Consuetudines et Redditus quot quanta et qualia eidem modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis visum fuerit vel placuerit et non de NOBIS Hæredibus vel Successoribus nostris immediate ET eisdem Personæ et Personis et earum cuilibet et quibuslibet damus et per Præsentes pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris concedimus Licentiam Authoritatem et Potestatem quod tales Persona et Personæ Præmissa sive aliquam inde Parcellam de præfato modò Barone de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis recipere possit et possint ac tenere sibi et Assignatis suis vel Hæredibus suis de quocunque Statu hæreditario in Feodo simplici vel Feodo talliato vel aliter prout eis et modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis videbitur expedire de eodem Barone de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis Statuto in Parlamento Domini EDWARDI Filii Regis HENRICI nuper Regis Angliae Progenitoris nostri edito communiter vocato "STATUTUM QUIA EMPTORES TERRARUM" in Regno nostro Angliae dudum edito aut aliquo altro Statuto Actu Ordinatione Usu Lege vel Consuetudine aut aliquâ aliâ Re Causâ vel Materiâ in contrarium inde antehac habitâ factâ editâ ordinatâ seu provisâ in contrarium inde non obstante.

XIX. Ac eidem Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus suis Particulas aliquas Terræ infra PROVINCIAM prædictam in Maneria erigere et in Maneriorum eorum singulis habere et tenere Curiam Baronis et omnia quæ ad Curiam Baronis pertinent Et Visum Franciplegii ad Conservationem Pacis et melius Partium illarum Regimen per se et Seneschallos suos vel aliorum Maneriorum illorum cum constituta fuerint Dominos pro Tempore existentes deputandos habere et custodire et in eisdem omnibus uti ad Visum Franciplegii pertinentibus Licentiam damus et concedimus per Præsentes.

XX. Ac ulterius VOLUMUS ac per Præsentes pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris convenimus et concedimus ad et cum præfato modò Barone de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis Quod NOS Hæredes et Successores nostri nullo Tempore imposterum alias Impositiones Custumas aut alias Taxationes Quotas seu Contributiones quascunque imponemus aut imponi faciemus aut causabimus in aut super Incolas aut Inhabitantes PROVINCIAE prædictæ pro Bonis Terris vel Tenementis suis infra eandem PROVINCIAM aut super aliqua Tenementa Terras Bona seu Catalla infra PROVINCIAM prædictam